



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi Opusculum Asceticum Posthumum**

**Lessius, Leonardus**

**Lovanii, 1643**

25. De Deo Creatore.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46564](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46564)

mala amore tui tolerata, meliora sunt omnibus huius sæculi bonis: si enim compatimur, & conregnabimus. Per illum tu nobis sis vita & refectio, domicilium & possessio, diuitiæ & gloria, fortitudo & refugium, quies & solatium, protectio & securitas, gaudium & beatitas. Amen.

CONSIDERATIO XXV.

*De Deo Creatore.*

**C**reator dicitur; I. quia suâ infinitâ sapientiâ ab æterno infinitos mundos cum omni ornatu & omnibus rebus ad singulos pertinentibus distinctissimè, & cum infinita luce concepit, & in mente sua formavit; & ex infinitis qui menti ipsius obijciebantur, hunc mundum, relictis ceteris, liberè elegit; & ab æterno firmiter constituit illum  
cum

cum suis Angelis & duobus primis hominibus reliquoque apparatu post infinita secula in certo temporis puncto, & sex dierum sequentium interuallo, & in definito immensitatis spatio creare, formare, disponere, perficere; omnium rerum mensuris, formis, viribus, partibus, distinctissime & immutabiliter mente conceptis, descriptis, ac definitis.

2. Quia ex vi illius æterni decreti, post infinita secula, in puncto temporis, & spatio definito, mundum ex nihilo, infinite infra se, solo verbo potentissime cōdidit, & conditum eodem influxu mirabiliter continuato, in eodem spatio immobiliter conseruat, & continet in sua natura ac statu in omnem æternitatem: cuius influxus in res omnes adeo potens est, vt nihil possit perire, nisi ipse suum influxum subtraxerit; quod numquam facit nisi

est nisi aliqua alia causa id postula-  
uerit: vt cum ratione peccati sub-  
trahit influxum quo conseruabat  
donū gratiæ habitualis; vel ad præ-  
sentiam contrarij ( vt hoc in statu  
mutabilieffe possit actio & passio )  
subtrahit influxum quo conserua-  
batur contrarium; vel pereuntibus  
per mutuam actionem dispositio-  
nibus necessarijs, subtrahit influxū  
quo conseruabatur anima plantæ,  
vel animalis &c.

Multa sunt in hoc opere admi-  
ratione digna. Primò quod decre-  
tum, cuius vi conditus est mundus,  
in finito tempore antecesserit execu-  
tionem, nec nisi post infinita secula  
secula sit mundi creatio. Secundò,  
quod sicut Deus mundum in hoc  
temporis momento, & in hoc spatio  
condidit; ita potuisse in quo-  
uis temporis infiniti puncto, &  
spatij immensi interuallo ipsum  
condere. Tertiò, quod in Deo per  
tantam

tantam

tantam molitionem nulla facta firmitate mutatio. Quartò, quod res tam multae & variae, tam firmæ & solidæ, tam magnæ & validæ, repente ex nihilo extiterint. Vbi etiam aduertendum est dupliciter creationem spectari posse. Primò, ut est quidam ascensus vel eductio rei à non esse, ad esse, quasi antea lateret in suo nihilo; deinde extraheretur omnipotentiâ Conditoris ad esse. Secundò, ut est quidam descensus, vel emanatio rei ex omnipotentia Conditoris (ubi antea eminenter tanquam in radice, & ut in idea continebatur) in suum esse formale & actuale: sicut lumen dicitur emanare à sole; calor ab igne; species visibiles ab obiectis; imago ab arte artificis: &c. Omitto alia multa, quæ accuratè consideranti possunt facile occurrere.